Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus theol. de actibus humanis - Cod. Ettenheim-Münster 302

[S.l.], 1697

Quaestio 5ta

urn:nbn:de:bsz:31-131009

Visual Library

Quaestio 5ta

Utrum, et à quo voluntas moveat, ex necessitate naturae, sive naturaliter?

Conclusio 1ma voluntas à quolibet obiecto suo sive adaequato sive inadaequato, sive creato sive increato, per intellectum ipsi repraesentato, sub praecisa ratione boni, necessitatur, quoad specificationem ad illud amandum. Ita communis cum S. Th. hic in utroque articulo contra Nominales docentes, posse nos pro arbitrio amare malum et odisse malum, quod nos supra refutavimus.

Ratio est, quia obiectum est sub praecisa ratione boni: nam si abstrahatur praecise bonum, cui coniuncta aliqua ratio mali, v.g. labor, culpa, remanet in voluntate libertas contrarietatis; hoc est, ad illud amandum, aut odio prosequendum.

Conclusio 2da voluntas hominis, sibi compotis extra statum beatitudinis supernaturalis, à nullo bono per intellectum proposito necessitatur quoad exercitium. Ita communis cum S. Th. et quosdam.

Ratio est voluntas viatoris semper potest invenire motivum ad cessandum ab amore cuiuscunque boni; nam extra statum beatificum cum cognitione cuiuscunque obiecti est annexa vel vera vel apparens ratio mali, v.g. laboris, difficultatis etc.; aut quia cogitatio de uno bono impediat à cogitando, vel

amando altero etc.

Conclusio 3tia: Voluntas ab obiecto clare viso simpliciter necessitatur quoad specificationem et exercitium ad illud amandum. Ratio: quia lumen gloriae talis est ratio, ut in operando non sit libertas arbitrio beati, sed contra gubernat et post se rapit voluntatem, ut amet clare visum bonum, in quo omnis plenitudo bonitatis, ita ut nulla ipsi occurrere possit ratio, seu sufficiens motivum odii v.g. difficultatis etc. ut velit, aut amorem suspendere, aut ab eodem semel coepto cessare.

Conclusio 4ta. Quae inferioris appetitus sunt passiones non totaliter opprimunt usum rationis, et eundem aliquantulum obnubilent, et eaedem passiones, etsi voluntatem moveant, eam tamen non necessitant quoad exercitium, sed voluntas potest eis resistere, ne eis obsequatur. Ista communis SS. PP. et Catholicorum omnium contra Lutheranos et Calvinistas docentes non esse in potestate nostra non obsequi concupiscentiis.

Prob. 1mo. Genesis 4. sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius. Ecclesiast. 13 post concupiscentias tuas non eas: si praestas animae concupiscentias eius faciet te in gaudium inimicis tuis. Et alibi passim in S. Script. Unde concludo a posteriori.

Prob. 2do. quia qui obsequuntur inordinatis appetitibus nihilominus peccant; atqui peccatum non est, quod ex necessitate simpliciter et non libere est perpetratum. Quod et Aristoteles, et alii philosophi gentiles cognoverunt.

Conclusio 5ta Deus quamvis sit efficiens motivum voluntatis quacum physice cooperatur, et ipse movet tamquam prima causa, 2dam causam

sibi in agendo subordinatam motum, non necessitat eandem in agendo, sive quoad specificationem sive exercitium. Ita fideles contra recent. hæret. & varios alios. Ratio est quia Deus reliquit hominem in manu consilij sui. Eccles. 15 & ad providentiæ divinæ suavitatem spectat naturas rerum non corrumpere, sed servare, inquit S. Dyonisius c. 4 de divinis nominib., & ideo Deus unamquamque rem movet concursu ordinario convenienter naturæ suæ, liberam libere, necessariam, necessario; non vero extra ordinarie potest, ut accidit vocatis à Deo, idque factum est cum confirmatis in gratia docet Vallatius disp. 2. q. 5. puncto 4. Confirmatur, Deus agit per intellectum & voluntatem juxta alibi dicta, atqui nec voluntas nec intellectus divinus imponit necessitatem reb. à se cognitis & volitis, ut alibi ostensum. Quæstio 6. quid & quarum rerum sit intentio.

Quæstio 6ta

Quid & quarum rerum sit intentio.

Inter actus, quos habere potest agens circa finem, primus est simplex amorem, sive complacentiam boni, quod habet rationem finis, notamus supra: post quem proxime sequitur intentio, de qua quæritur præcipue quid sit? quod eius objectum & subjectum?

Conclusio prima. Intentio est actus voluntatis, non intellectus. S. Th. 1. 2. art. 1. cum communi. Ratio est intentio non potest actus prosecutivus, ut ex terminis patet, ergo non est alterius, quam prosecutivæ potentiæ actus, qualis potentia est voluntas & non intellectus.

Objicit S. Bonaventura in 2da dist. 38. art. 2. q. 2.